

in solenni pactione d. 10. Maji 1748. pri-
mum agnosceret supremum Regis dominium
in quatuor illis dynastiis aequa ac in cete-
ris, reservato ratione proprietatis beneficio
tractatum Pacis Westphalicae, Ryswicen-
sis etc. Rex vero sequestratas novem Dy-
naстias cum redditibus decimisque, à clero
pontificio inde à pace Riswicensi usque ad
sequestrationem ablatis, restituendas manda-
vit, confirmato simul libero religionis Evan-
gelicae exercitio in novem illis Dynastiis
secundum literas, d. 9. Jul. 1707. datas ad
supremum senatum Vesunctionensem et praec-
fectum regium, Parlement et Intendant de
Besançon (b).

(a) *Eurov. Staats-Canzl.* P. 46. p. 762.

(b) DUVERNOY cit. *dissert.* p. 48. seq.

§. 52.

A. 1786. d. 21. Maji Duci Carolo altero
pacto cum Rege Franciae de finibus regun-
dis, omnique locorum communione, dato et
accepto, pluribusque vicis et possessionibus
invicem permutatis, mutuo tollenda (a) eo
convenit, ut salvis beneficiis Domui Wirt-
tembergicae in pace Westphalica, Neoma-
gensi, Ryswicensi et Badensi confirmatis,
exercitioque religionis in locis hinc et illinc
cessis in eodem statu conservando, quo
antea fuerat, maximam partem flumen Du-
bis parti utrius terminos superioritatis ter-
ritorialis, et quidem Principati Montisbe-

*Altera con-
vention cum
Rege.*

H 4

ligar-